

87

D. D.

DISSERTATIO GRADUALIS,

DE

F I N E

DESIDERII INFINITI

OMNIBUS HOMINIBUS

INDITI,

QUAM

Consensu Ampliss. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboensi,

PRÆSIDE,

VIRO MAXIME REVERENDO atque AMPLISSIMO

**D: NO DOCT. CAROLO
MESTERTON,**

LOGIC. & METAPHYS. PROFESS. REG. & ORDIN.

In AUDITORIO MAJORI die XV. Julii MDCCLXVI.

H. P. M. S.

Publicæ disquisitioni subicit

SAMUEL MÖLLER,

AUSTRO-FENNO.

ABOÆ Impressit JOH. CHRIST. FRENCKELL.

LAGMANSKAN,
HÖGVÄLBORNA GREFVINNAN,
FRU REGNATA
CHARLOTTA
VON MORIAN,
FÖDD NIEROTH.

HÖGVÄLBORNA FRU GREFVINNA!

Då jag underkastar den Lärda Allmänhetens
granskning mitt andra Academiska Arbete,
som handlar om Ändamålet, hvarföre den Allwise
Skaparen inplantat et oändeligt begär uti alla menni-
skors hjertan; så vågar jag på första bladet, at öd-
mjukast föreställa Högvälborna FRU GREFVINNANS
Namn,

Namn, hvilket, få väl för **DESS** egna höga egen-
tkaper, som **DESS** Förfäders lysande Åre-minnen,
allmänt vördas.

Det anseende mitt ringa Arbete härigenom
förvärfvar, hoppas jag *Högvälborna* FRU GREFVIN-
NAN lärer höggunstigt tilstådja; i synnerhet, då
min affigt är, at visa den vördnad och högakt-
ning, jag för **DESS** Högtförnäma Person i mitt in-
re hyser.

Et ibland mina gladaste pligter skal det vara:
at för *Högvälborna* FRU GREFVINNANS och **DESS**
Högtförnäma Hufes beständiga välgång, anropa
om den Alsväldige Gudens beskydd och välsig-
nelse. Hvarmed uti djupaste vördnad framhårdar

HÖGVÅLBORNA FRU GREFVINNANS

Allerödmjukaste tjenare
SAMUEL MÖLLER.



§. I.



Animam nostram stimulari desiderio; sentiunt omnes, qui experientiam quotidianam consulere haud negligunt. Hæc, omnium non fallax magistra docet, nos in id, quod ad nos perfectiores reddendos spectat, puta bonum, tanto nisu ferri, ut priusquam illud accipimus, contenti esse & ad quietem perducere nequeamus. Et quamvis hanc veritatem negare, ausus fuerit nemo; non tamen defuere, qui desiderium vitium fingentes, potius reprimendum, quam fatiandum existimarunt. Stoicis in primis hic tribuitur error. Seneca, fortissimus hujus Sectæ defensor, sic loquitur: *Voluptatem, inquit, æqualem - - percipit, - - qui, ut ita dicam divini juris atque humani peritus, presentibus gaudet, ex futuro non pendet; nihil enim firmi habet, qui in incerta propensus est. Magnis itaque curis exemptus, & distorquentibus mentem, nihil sperat aut cupit, nec se mittit in dubium suo contentus* (Lib. VII. de Benef. C. II.). Invenit haud difficile est, unde hoc provenerit deliramentum. Confundebant nimir. Stoici desiderii adplicationem cum ipso desiderio

derio & ex illius perversitate ad hujus vitium perverse concludebant. Nec tamen negandum est, stultam eorum de fato inevitabili doctrinam, ad hanc opinionem multum contulisse. Nos, quod ad desiderii adplicationem, concedimus quidem, inordinatam atque perversam esse posse; quin etiam, cum Cel. MOSHEIMIO contendimus, desiderium ipsum testari, nos imperfectos esse (vid. Ejus *Sittenlehr. der Heil. Schrift.* Part. III. p. 387.); non tamen ideo ut vitium refrenandum esse putamus. Neque enim imperfectio nostra in se aliquid vitii involvit, neque, remoto desiderio, perfectiores sed potius imperfectiores reddimur.

Quem ad modum de desiderio in genere docuerunt *Stoici*, ita speciatim de infinito desiderio. De hoc iterum *Seneca*, *Helviam* consolaturus: *Cupiditati, inquit, nihil satis est, naturæ satis est etiam parum.* Quibus præcipit, ut paucis homines sint contenti nihilque desiderent præterea, sed bonis finitis præsentibus plene adquiescant. Inconveniens sane doctrina. Non generaliter verum est naturam paucis esse contentam, adeoque injuste nobis injungitur in rebus finitis adquiescentia. Omnes enim a natura ferimur ad aliquod infinitum. Deus nempe hanc indidit propensionem, ut ad sublimem aliquem scopum collineamus. Hoc prolixius evolvere operæ pretium ducimus, nostro conatui ut faveas Te B. L. officiose rogantes.

§. II.

Priusquam tractandæ materiæ nosmet accingimus, perspicuitati consulentes, aliqualem præcipuorum, quæ in rubro conspiciuntur, terminorum notionem præmittamus. Sic nobis indicandum est, quid per *finitum* atque *infinium*, quid per *inditum*, quidve per *finem* intelligamus.

Finitum vocamus, quod terminis quocunque respectu inclusum est. Spectatur a nobis, quatenus homini aliquo modo *bonum* esse atque desiderabile intelligitur.

Infinium hoc loco denotat id, quod vel certo respectu vel absolute consideratum, nullis includitur terminis. Explicatione hæc eget definitio. *Infinium* ut objectum desiderii, adeoque ut bonum consideramus. Sub hoc bono comprehendi potest non solum id, quod nullo respectu limitatum seu terminis inclusum est, nulloque perfectionum compossibilium defectu laborat, sed etjam quod aliqua tantum ex parte dici potest illimitatum. Ad hoc pertinet e. g. immortalitas animæ, quæ in perpetua ejus existentiae duratione consistit. Hanc infiniti notionem non quidem propriam esse novimus. Quum tamen conveniat cum vocis etymologia atque communi loquendi usu & præterea materiæ tractandæ ratio illam requirat, assumere haud dubitavimus.

Inditum nobis idem significat ac *naturale* sive *infitum*. Adeoque *adquisito* opponimus.

Per

Per *Finem* intelligimus *scopum*, quem *agens* intelligens *agendo respicit*, s. *propter quod agere putandus sit*.

§. III.

His primoribus, ut dicitur *labris delibatis ad desiderium infinitum omnibus hominibus inditum s. naturale* definiendum devolvimur. Est *ea anima nostrae insita propensio, qua unum finitum post alterum respuendo, tam vehementer tendit ad aliquod infinitum, ut prius ad tranquillitatem perducere nequeat, quam idem acceperit*.

Obs. 1:0 Nos *desiderium infinitum naturale* non ponimus in *propensione insita, qua unum finitum post alterum respuit*. Nam non modo in *rejectione finiti*, sed etiam in *appetitu infiniti perpetuo actuosam esse animam*, in sequentibus demonstrabimus. Et quum *anima per continuam finitorum rejectionem sese ostendat re ipsa propendere ad aliquod infinitum; nec desiderium nostrum collocare potuimus in propensione animae insita, qua tam vehementer tendit ad aliquod infinitum, ut &c. sed in propensione - - qua - - respuendo, tam vehementer tendit, ut &c.*

2:0 Quamvis *desiderium nostrum omnem præviam ratiocinationem antevertat*, differt tamen ab *appetitu ut dicitur, naturali*. Quemadmodum enim *hic disponit homines ad appetendum bonum in genere & ad malum averfandum, ita illud incitat speciatim ad expetendum infinitum, & ad repudiandum finitum. Hic præterea nobis cum brutis animan-*

mantibus est communis. *Illud* vero nobismet solis competit.

3:0 Definivimus desiderium nostrum per insitam animæ propensionem, qua - - tendit NB. ad *aliquod infinitum*. Non enim *certum* quoddam *infinitum* statuere licet, nobis de ipso desiderio, non de ejus adplicatione differentibus. In tota de nostro desiderio doctrina, magni est momenti hujus discriminis observatio. Neglecta namque, doctos viros in devia deflexit, haud paucos.

4:0 Desiderium nostrum *infinitum* vocamus, non ut indigitemus, nunquam, ne rebus quidem infinitis, satiari posse; sed, quia circa infinita versatur objecta.

§. IV.

Priusquam progredimur ad demonstrandum, quod desiderium infinitum sit omnibus hominibus inditum, necessum est, ne andabatarum more pugnare videamur, ut quoque evincamus, desiderium infinitum nobis omnibus esse commune. Ad experientiam hac in re tuto provocamus. Si primum spectas desiderium circa *finita*, invenies nos ab uno in alterum ferri, neque unquam adquiescere posse. Vix novi quid accepimus, dum illud iterum rejicimus. Et quamvis nos primum demulceat atque in nobis diurnæ felicitatis spem efficiat, postea tamen misere deceptos nos reperimus. Hoc non semper ob aliquam rerum depravationem, sed quia nos
illa

illarum tædet, nescio cur, & desiderio flectimur ad aliud, quod adhuc non habemus. Commodè huc applicatur, quod hac de re adfert Celeb. MOSHEIMIUS: Unstre begierden/ inquit, sind nie ruhig/ sondern immer in Bewegung. Sie verlangen stets was neues. Sie steigen weit höher/ als die Kräfte der menschen steigen/ und wolten sich gerne eine glückseligkeit zueignen/ die kein endliches geschöpf erhalten kan. Kaum ist ein gewisses Vergnügen vorbei/ so macht man schon anschlage auf ein neues/ bey dem man mehr zufriedenheit sich einbildet: und kaum hat man etwas von dieser neuen lust geschmecket/ so zündet sich ein Verlangen nach einer andern an. Kaum hat man diese Ehre erlanget, so sehnet man sich nach einer größern. (vid. Ejus SittenL. der Heil. Schrift. Part. 1. C. 1. p. 210.). Tali desiderio circumducimur omnes, si vel diversam ætatem vel ordinem diversum consideramus. Optat puer, ut ad puberem ætatem perveniat, sperans magnum sibi gradum felicitatis consecuturum. Frustra. Dum enim hos pertingit annos, desiderat, ut vir fiat. Neque hic cessat desiderium. Vir, multis intentus curis, præoptat senectutem. Senex tandem factus, sentiensque se longius a felicitate remotum, barbam, si fieri posset, cum pube commutare vellet. Sic etiam in ceteris. Neque enim sceptrum parat quietem. *Cyrum & Cambysem*, (verbis utor SENECAE) & totum regni Persici stemma percense. *Quem invenies, cui modum imperii satietas fecerit? Quis non vitam in aliqua ulterius procedendi cogitatione finierit?* Qui regno potius

tus est, fines ejus vult extendere. Et quamvis totam subegisset terram, non tamen est contentus. Etenim, si avidus est imperii, illud retinere cupit in infinitum, sin minus, cura fatigatus, deponere. Sic desiderium nos in culmen speratæ felicitatis elevat atque inde iterum detrudit. Et quamdiu circa finita versatur, nos ad firmitatem perducere potest nunquam. *Quin, si vel usus finitorum infinitus (ut ait RITTERUS), supponeretur, ut uno pluribusve intereuntibus nova succederent, eumque incessanter deletarent; cogitandum tamen est, eum ejusmodi plura & majora semper, in primis autem semel amatorum constantiam desideraturum esse.* Denique, si fieri posset, ut omnia in unum conferrentur, hoc ipsum tamen desiderium amplius concitaret, quod derelinquenda tandem essent. *Nec id mirum est (inquit SENECA), quantum in id, quod inexplebile est congeras.*

§. V.

Sed, dum nos finita omnia respuimus, numne simul tendimus ad aliquod infinitum? Et si hoc; unde probari potest? Prono fluit alveo. Postquam enim evictum est, desiderium nostrum rebus finitis satiari nunquam posse, & non tamen desistere; nihil aliud superest, quam concludere, quod anima nostra hiet ad spem infiniti. Non enim datur medium inter finitum & infinitum. Sed regeris: Ex unius finiti post alterum rejectione, sequi non videtur, desiderium ad infinitum propendere; fieri enim potest, ut vitiosa quædam morositas nos inquietos

tos & nulla re contentos efficiat. Quis autem contendere potest, animam ad infinitum ideo adspirare? Et si vel hoc concederetur, quomodo laudari potest hoc desiderium? Non enim dulcis aqua de fonte maligno ebullit. Resp. Desiderio nostro ferimur ab uno finito in alterum. Unum rejicimus, non odio, sed amore felicitatis, nam speramus ex altero majorem. Ex hoc autem speratam non obtinentes, aliud petimus. Quid itaque mali huic inest? Ex natura rerum pendet delectus. Et quamvis ex hac non semper derivandus sit; ex cupiditate tamen adscendendi ad majorem felicitatis gradum. Felicitatem autem quarere, nonne arctissime convenit cum natura nostra? Contra, morosum esse, huic maxime repugnat. Ex hominis namque conata pravitate profluit. Cum odio conjunctum est, adeoque ad nos ipsos alicsque nocendos tendit. Ex hoc itaque fonte ut scateat desiderium infinitum, non fieri potest. Fatemur quidem hujus adplicationem perversam esse posse atque minus ordinatam. Non autem hoc obstat, quominus desiderium in se sit maxime compositum. Posita corruptione, quid datur, quo nequeas abuti? Absterge immunditiam, quo illud oblitur perversa adplicatione, & invenies etjam fidelissimis Christianis inesse. His illud magno est emolumento. Intelligunt namque stimulum esse, quo Deus benignissimus ipsos vult incitatos ad sollicite quarendum finem, cui sunt destinati. Hi cum Cel. PONTOPPIDANO dicere queunt, quod sit „Guds egen haands vinken ester vor sjel (vid. Ej. Tract. de Im. An. C. VII. p. 107.).

Hinc jam constat, quod desiderium infinitum in se non sit vitiosum; nec ideo ex nostra pravitate oriri. Sed hæc, quasi intra parenthesin dicta sunt. Regredimur ad illud: - - anima nostra hiat ad spem infiniti. Hoc etiam exemplis probatur. Prodeat igitur senex, qui experientia quotidiana edoctus, novit se nullo finito satis delectari posse. Dicat, cur nihilominus ad novum adspiret. Forsan id ipse nescit. Nonne aliquam felicitatem quærit, quam in hac vitæ fragilitate reperire nequit? Hic enim omnia, quæ illi observantur, finita sunt & mutationibus obnoxia. Illis itaque adquiescere non potest, si vel omnia in unum conferrentur (§. præced.). Hinc, incitatur ad infinitum cogitandum. Et hoc sine ulla svasione adpetit. Quod seni huic evenit, idem etiam aliis. Interrogatus, cur nullis rebus finitis contentus esse queat? quis non respondebit: opto infinitum.

§. VI.

Pergimus ad demonstrandum, quod desiderium infinitum a Deo sit omnibus hominibus inditum, h. e. quod sit naturale. Arduum sane est atque difficile. Novimus enim haud paucos eruditione conspicuos in demonstranda hac veritate, certitudinis gradum non attigisse. Crediderunt se omnem tulisse punctum, postquam demonstrarunt hanc propensionem omnibus esse communem. In his nominamus Cel. SYRBIUM, qui hoc inter demonstrandi principia admisit (vid. Ejus Instit. Phil. Rat. P. I. C. XIII.

p. 307.), & Cel. KOECHERUM, qui in eandem incurrit reprehensionem (vid. Ejus Annot. in Grot. de Ver. Rel. Christ. L. I. §. 24. p. 177.). Nos existimamus ex hoc principio probari non posse, quod desiderium inf. sit inditum. CONRINGIUS enim alijque ex ratiocinatione derivandum esse crediderunt. Imo, non defuerunt, qui ejus ortum a peccato originali deducunt. In his STOLLIUS (de ambabus sententiis. vide loc. nuperrime cit.). Nos itaque ex aliis principiis hanc veritatem deducere conabimur.

1:0 *Non repugnat sed potius convenit naturæ nostræ, desiderium infinitum esse inditum.* Hoc ex præced. §. jam quidem constat; hic tamen perspicacius proponendum esse censemus. Anima (α) vi suæ essentiæ absque fine existere potest. (β) Est capax infiniti cujusdam boni, cui nullæ desunt perfectiones. Non quidem ita, ut possit essentiam ejus perfectionesque exhaurire, sed, ut sentire queat atque percipere infiniti boni in se influxum, ejusque perfectionibus delectari. (γ) Vi essentiæ suæ tendit ad felicitatem suam, & quidem tanto impetu, ut cupiditatem hanc delere queat nunquam. Existit aliquem in finem, quia repugnat, ens, imprimis rationale, casu ortum esse. Ad finem alicujus entis, recte concluditur ex ejus facultatibus complexive sumtis. Jam verò, omnes animæ nostræ facultates id valent eoque collineant, ut felices evadamus. Ergo felicitas est finis noster (non tamen Gloriam DEI excludimus). Hæc felicitas ex animæ facultatibus metienda est. Potest autem anima in æternum vi-

vere; potest infinitum capere ejusque perfectionibus delectari. Ergo æterna vita, conjuncta cum perfectissima felicitate, finis noster est censenda. Ad hunc scopum, nos omnes *equali* nisu tendere debemus, quia sumus *æquales*. Neccessum itaque est, ut desiderium æternæ & perfectissimæ felicitatis, puta desiderium infinitum, nobis omnibus a Deo sit inditum. Non enim ex ratiocinatione oriri potest, *æqualis* ad felicitatem tendentia.

2:do *Convenit Divinis perfectionibus, desiderium inf. esse inditum. Nisi autem inditum esset, Divinis perfectionibus repugnaret.* Ea est sapientia Divina, ut ad finem aliquem consequendum, simplicissima simulque validissima eligat media. Quid vero simplicius, quid validius impulsu naturæ? Finis hominis est felicitas æterna. Hic autem, sine desiderio *inf.* non tam commode obtineretur (Mom. I.). Ergo sapientiam Divinam hoc medium elegisse, non dubium est. Quod eligit sapientia, ut præstet omnipotentia necesse est. Convenit itaque Deo, animæ nostræ inseruisse desiderium infinitum. Quod facere Illi convenit, id repugnat non facere (saltem hoc in casu). Ergo &c.

3:o *Lubenter cogitamus infinitum, & illud cogitantes, absque ulla ratiocinatione optamus.* Cujusvis hoc docet experientia. Quis est, quin voluptate quadam interna demulceatur, dum anima versatur circa infinitum. Spes enim mox sequitur hanc cogitationem. Hac homo quasi in altum elevatus, mira

circumspicit attentione, ut inveniat, quod conniventibus oculis eminus videt. Varias sibi format infiniti notiones, & si quid ab hujus consideratione illum detrudere vult, animo angitur. Unde hoc venit? Nonne nobis inest aliqua propensio, quæ ad hoc incitat? Hanc propensionem desiderium infinitum vocamus.

4:0 *Qui perversa obscurati arte, nullam esse spem consequendi infiniti dixerunt, quique hinc desiderium suum intra hujus vitæ cancellos coarctare adnixi sunt, non potuerunt omnem infinitatis desiderium reprimere. Epicurus ipse, qui videtur omnes bonos naturæ stimulos obtundere potuisse, teste Diogene Laërtio, sui nominis immortalitatem desideravit. Cur desiderio huic resistere nequibat? Nonne illi inerat aliqua cupis non obtusa, quæ illum ad aliquam infiniti cogitationem stimulavit? Et non dubium est, quin etiam se ipsum optaverit immortalem, quamvis discipulis suis id aperire nefas habuerit.*

§. VII.

Tandem enucleemus, quisnam sit *finis* desiderii infiniti omnibus hominibus inditi. Paucis rem agemus.

Desiderium infinitum non frustra, sed ad aliquem finem esse inditum agnoscunt omnes, qui rectum de rebus judicium ferre didicerunt. Neque difficile est inventu, in quo hic finis consistat. Consideranti tibi, quæ in præsentibus disseruimus, patebit,

bit, quod ad felicitatem æternam desiderio nostro infinito inclinemur. Hinc inferimus desiderium infinitum nobis esse inditum, *ut eo majori nisu æternam queramus felicitatem, eaque media que ad hanc obtinendam conferunt.*

Quod 1:o pertinet ad æternam felicitatem, ad quam desiderio infinito flectimur, dum recto procedimus ratiocinio, inveniemus, præter animæ immortalitatem, ad satiandum desiderium infinitum requiri unionem cum bono aliquo infinito, qui nullo perfectionum defectu laborat. Non autem datur infinitum bonum, nullo defectu laborans, nisi Deus. Ergo, respectu ipsius felicitatis, desiderii infiniti inditi finis est, *ut sollicite & omni nisu Deum queramus.*

Quod 2:o attinet ad *media* quibus ad Deum ducimur, finis desiderii infiniti inditi esse intelligitur: *ut maxima, qua fieri potest attentione circumspeciamus, ubinam certissima reperiantur, & ut inventis firmissime adhareamus.*

Sed plura persequi, prohibet tam festinatio, quam arcti, quibus nos includimus, limites. Satis nobis sit indicasse, quod desiderium infinitum omnibus hominibus sit inditum, ut promoveatur.

GLORIA DEI.

